





INDEX DISPUTATIONUM  
Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-  
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-  
vina essentia differentis  
notis characteristicis ordine  
et de generatione ac divi-  
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti  
ejusque aeterna processione  
a Patre et filio, et de Sa-  
cramentis tam veteribus quam  
recentioribus etc.

5 De peccato originali per  
difficiliam scripturam polysemam  
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum  
sanctum sive peccatum ad  
mortem.

7 De unione hypostatica du-  
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et  
naturarum et earum de-  
terminatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-  
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-  
gio, et statu exalta-  
tionis.

11 De justificatione ho-  
minis peccatoris coram  
Deo.

12 De efficacia ministerii  
verbi et sacramentorum  
Dei Ministeriorum Ecclē-  
siae vocatione.

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De Sacramento ingere-  
re. 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et  
Confessione. 11. 12

19 De Traditionibus hu-  
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus  
et potestate Ecclesi-  
astica. 16 c. 17

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus  
illi Dei qui tollit peccata  
mundi

26 De verbo Dei  
scripto seu scriptura  
in sacra.



DISPUTATIO VIII.

*De*

LEGE ET  
EVANGELIO.

*AD QVAM*

Sub auspicio sanctæ & individuæ  
Triadis

*PRÆSIDE*

LEONHARTO HVTTERO,  
SS. THEOLOGIAE

DOCTORE:

*Prid. Calend. Augusti, horis locog,  
consuetis*

*Respondebit*

MARTINVS FRANCVS  
Vtenbachensis Tyrigeta.



IENÆ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO MDLXCVI.







REVERENDO, CLARISSIMO, AC DOCTISSIMO VIRO,

DN. M. DAVIDI MEISIO,

*Illustrissimi Principis ac Dn. Dn. FRIDERICI WILHELMI, Ducis Saxoniae &c. Electoratus Saxonici Administratoris, &c. in aula Torgensi concionatori vigilantissimo,*

ET

*Prudentissimo atq; integerrimo viro,*

Dn. LEONHARTO RADEMACHER,  
Senatori ac pro tempore judici Reipub.  
Ienensis æquissimo

*Debita observantiae & gratitudinis declaranda gratiâ,*

Haec assertiones Theologicas,

*Dedicat offertq;*

Martinus Francus  
Respondens.



Disputatio de Lege & Evan-  
gelio.

T H E S I S I.



Q U A N T A malorum & miseria-  
rum illas ex lapsu protoplastorum in totum  
genus humanum redundavit; duab.  
superioribus proximis disputationibus  
consideratum fuit accuratius.

2. Tanta certe ea est, ut non modo  
non seipsum ex ea proprijs viribus extricare homo: vel  
etiam ab ulla creatura alia, quantumvis sancta eripi  
possit.

3. Sed potius adeo vires mentis ipsius à Satana excæ-  
cata, ut mala hac sua, certe maxima non persentiscat: ve-  
rùm phrenetici instar etiamnum sanum sese esse existimet.

4. Veriq; huic defectui longè gravissimo, duobus illis  
distinctis doctrina Christiana generibus, Legis videlicet  
& Evangelij, medicinam benignissimus Pater cælestis ad-  
hibere voluit.

5. Legis quidem promulgatione, partim corruptionis  
nostra atrocitatem ostendendo: partim verò, sed oblique  
& indirectè, ad quarendum Medicum, impellendo.

6. Evangelij verò concione, pavidas conscientias le-  
gis malleo subactas & contritas erigendo, & directè ve-  
rum Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Chri-  
stum commonstrando. 1. Tim. 2.  
5.

7. Quæ duo doctrina Christiana genera, cum e-  
nter se mutuas tradant operas, & ita coniuncta  
sint, ut divelli nequeant: quantumvis aliàs tñ Jewiq; &  
proprijs suis finibus seu officijs determinata: de utroq; dis-



putationem conjunctim instituere placet: ita tamen, ut de  
Lege primùm, postmodùm de Evangelio disquiramus.

Pars I. disputationis, de LEGE.

8. Lex ergò, Hebrais Thorah dicta, sacris in literis  
interdùm denotat omne verbum Dei, quod ad nos docen-  
dos quocung, modo pertinet.

Ies. 2, 3. 9. Quo respectu pro Evangelio etiam accipitur: ut  
cùm Iesaias vaticinatur: De Sion exibit Lex, & verbum  
Domini de Ierusalem.

Aristot in Rhetor. ad Alexand. cap. 1. 10. Interdum verò & magis propriè doctrinam signi-  
ficat, sive λόγον, καὶ ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως ὡρισμένον,  
μηνύοντα πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα: orationem quandam, quæ  
communi civitatis consensu definita, jubet, quo pacto u-  
numquodq, agendum sit.

11. In hac disputatione specialiter sumitur pro νομο-  
θεσίᾳ Mosis, eaq, vel tota, vel aliqua eius parte.

12. Dividitur autem vulgò haud incommodè Lex in  
Naturalem, Divinam, & humanam.

13. De postrema specie, legibus videlicet humanis,  
disquisitionem Philosophis & Iureconsultis committimus:  
reliquarum duarum specierum Δείκνεψιν in presentia-  
rum σὺν Θεῷ instituturi.

1. Lex Natu- 14. Est autem Lex Natura pars Legis divina, men-  
12. tibus nostris etiam post lapsum insculpta, non tam de offi-  
cijs, nobis ac proximo debitis, quam de cultu Dei nos ali-  
quo modo admonens & instruens.

15. Respectu enim Dei docet, esse Deum aliquem, &  
esse quidem eum colendum ac glorificandum: agnoscit &  
inculcat ex creatione hujus universi αἰδίων δυνάμιν ἢ θεο-  
τητῆς creatoris; ceteraq, ipsius attributa, quorum vis in con-  
servatione rerum creaturarum potissimùm conspicitur.

Rom. 1, 23 16. Respectu nostri, monstrat τὸ δικάωμα, hoc est, disci-  
crimen



crimen honestorum & turpium, κοινὰς ἐνοχίας communes de  
aquo & bono notiones: fontes universa doctrinae gentili-  
um Ethica, & νομοθεσίας, cum secunda tabula praeceptis  
quadamtenus congruentis.

17. Respectu proximi, urget cum primis generalem  
illum Iuris Aphorismum: Quod tibi fieri non vis, alteri  
ne feceris.

Matth. 7,  
12.

18. De hac naturali notitia disputat Apostolus, in-  
quiens: Gentes, quae legem non habent, Naturâ quae legis  
sunt, faciunt: isti legem non habentes, sibi ipsi sunt lex:  
ut qui ostendunt opus legis, scriptum in cordibus suis, testi-  
monium reddente illis conscientia ipsorum &c.

Rom. 2,  
14. & 15.

19. Est autem ex ejus ambitu, eorum eximenda no-  
titia, quaecumq; non nisi revelatione divina ex verbo Dei  
innotescunt: ut sunt omnes Articuli fidei Christiana.

20. Ut enim non ad classem τῶν νόμων ἐπισημῶν, sed  
τῶν πνεύματος proprie isti pertinent: ita rationis iudicio, aut  
natura lumine à nob. expendi nec possunt, nec debent: nisi  
contra praeceptum philosophi committatur μετὰ βίας eis  
ἄλλο γένος.

21. Intolerabilis ergo eorum error, qui ita laxè Legis  
Natura crepidines extendunt, ut ad sufficientem & salu-  
tarem Dei cognitionem homini non renato, lucem illam  
Natura prodesse posse, affirmare haud dubitent.

Cingl. in  
exp. fid.  
Gualth.  
Apol. Cinq.  
glj. fol. 53.

22. Usus siquidem legis Natura proprius non est alius,  
quàm ut lumini isti naturali homo subditus, regere possit  
τὸ πολιτικόν: & prestare ea, quae ad civilem societatem  
in genere humano conservando quodammodo conducunt.

23. Accidentarium assignat Apostolus eum, ut vi-  
delicet hujus ipsius naturalis luminis iudicio, homines cor-  
ram tribunali Dei fiant ἀναπολόγητοι, si ejus dictamini in  
hac vita morem non gesserint.

Rom. 2, 16.

1 3 Est



24. Est verò lex hac natura ita per lapsum obscura-  
ta, ut non modò exigua planè ejus supersint indicia: sed ea  
etiam quæ supersunt, ob corruptionis atrocitatem, quæ na-  
tura humana accidit, agrè in actum perducantur, quin  
appetitus rationi plarumq; prædominetur: juxta illud  
Medea: Video meliora probog, Deteriora sequor.

II.  
Lex Divi-  
na.  
Exod. 19.  
& 20.

25. Quare obscuratas hasce legis natura scintillulas,  
Deus Opt. Max. per legem scriptam, in deserto Sinai inter  
horribilia fulgetra & tonitrua promulgatam, suog, digito  
tabulis lapideis insculptam, renovare & quasi expolire  
voluit.

26. Est enim lex hac divina, perfectissima voluntatis  
Dei, tam respectu sui, quàm nostri norma: non actiones  
modò & cogitatus cum ea pugnantes, sed ipsam quoq; na-  
turam depravatam, vel nulla accedente actione aut cogi-  
tatione mala, arguens & damnans: vitam contra pro-  
mittens aeternam, perfectam præstantibus obedientiam.

I.  
Lex Mora-  
lis.

27. Dividitur autem hac Lex in tres quasi species:  
Moralem, Ceremonialem, Forensem.

28. Legis Moralis definitionem ac summam Decalo-  
gus exhibet, qui decem κεφαλαίους absolutissime compre-  
hendit, quæ de vero Dei cultu, & officijs charitatis possunt  
sanciri.

Matth 22.  
37. & 39.  
Luc. 10,  
27.

29. Quæ omnia ad duo quasi summa capita, nimi-  
rùm ad dilectionem Dei, & dilectionem proximi Christus  
Servator καὶ ἐπισημῶν redigit, inquiens: Diliges Dominum  
Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus  
viribus tuis: & proximum tuum sicut teipsum.

30. Ad hanc normam referenda omnia ea, quæ vel de  
studio bonorum operum, vel de impletione legis nobis præ-  
standa, vel de peccatorum accusatione, uspiam in Prophe-  
tarum, Christi & Apostolorum concionibus, admonitiones  
reperiuntur.

Non



31. Non autem, ut quidam sibi falsò imaginātur, Lex  
Moralis saltem qualemcumq; affectuum & cupiditatum  
moderationē, ne in externa scelera prorumpant, requirit.

32. Sed perfectam & integram omnium membrorum,  
eorundemq; virium omnium, & spontaneam quidem fla-  
gitat obedientiam: seu, ut paucis omnia dicamus, plenissi-  
mam & exactissimam totius natura humana, cum tota  
lege conformitatem.

33. Quae ut uno actu non perficitur, sed integrum Iac. 2, 10.  
vita humana his in terris spacium sibi conforme exigit:  
ita qui in uno deficit, iam omnium reus factus est.

34. Maledictus enim omnis, qui non permanserit in Deut. 27.  
omnibus, quae scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea. 26.

35. Qualem perfectam obedientiam nullus mortali- Gal. 3, 10.  
um prestare unquam: ac proinde nec per eam salvari  
quisquam potuit.

36. Neq; tamen propterea frustra eam à Deo latam  
fuisse: sed potius alios ejus respectu hominum esse usus, re-  
ctè statuerimus.

37. Ac primus quidem ejus usus πολιτικός seu civilis  
in eo consistit, ut non tam in non renatis, quam renatis,  
tanquam custos externa disciplina τὸ ἐπιθυμητικὸν sive uti  
vocant locomotivam regat ac gubernet.

38. Alter verò & precipuus, θεολογικὸς ἐλεγχτικὸς is Rom. 3,  
est, ut ostendat peccatum, arguat, per terrefaciat, damnet 20. 4. 15.  
omnes eo pollutos. 5, 20.

39. Hoc proprio suo munere lex dum fungitur, simul  
etiam sed obliquè ac indirectè Medicum aliquem quaren-  
dum esse innuit: Quis verò ille sit, non ostendit.

40. Et hoc ipsum est, quod D. Apostolus, Legem paed- Gal. 3, 24.  
agogum ad Christum esse asserit: quo respectu usum hunc  
παιδαγωγικὸν rectè dixerimus.

41. Tertius ac postremus Legis Moralisis usus, θεολογι-  
κός



κὸς διδάσκων, jam Renatos potissimum respicit, instruens nimirum eos, in quibus operibus Deo placentibus, Nova obedientia fructus magis magisque, exerere, suamque obedientiam probare debeant.

42. De hoc tertio usu, acriter haud ita pridem inter Augustanae etiam Confessionis professores disceptari ceptum: quibusdam legem Moralem in Renatorum Ecclesia necessario retinendam, docendam, urgendam affirmantibus: alijs contra Negativam defendentibus.

Artic. 6.  
fol. 697.

43. Nos in affirmantem concedimus, ijs potissimum motivationibus, quas liber Ecclesiarum nostrarum Symbolicus, Formula Concordiae eruditè & graviter explicat.

44. Etsi enim renati, quatenus renati Spiritu Dei ducuntur, qui suo magisterio monstrat, quae opera Deo placeant: non tamen ἀμέσως, per arcanos raptus & Enthusiasmos: verum ἐμμέσως per concionem legis assiduam Renatis ostendit: quibus abstinere, & quae facere debeant.

45. Deinde, cum ea Renatorum sit conditio, ut hac in vita Regeneratio non sit perfecta: & humana ratio, nisi freno legis perpetuò quasi coërceatur, facile extra limites & cancellos pietatis profiliat: necessarium utique, vel maxime fuerit, ut subinde legis rigore & dictamine intra septa & crepidines contineatur.

46. Tum Renatorum plurimum omnino interest, ut sciant qui cultus, quaeque opera divinitus sint mandata, ne proprio arbitrio indulgentes, ἐτελοῦσθε κείας sibi fingant & instituunt.

47. Quare Legem Moralem in Ecclesijs nostris necessario docendam ac urgendam esse concludimus: ut inde vetus Adam, in renatis etiam nondum plane extinctus, imperfectionis & immundicie suae admonitus, non propria rationis & ingenij dictamen, sed certas & infallibiles divina  
divina



divina legis sequatur regulas: excusso etiam veterno,  
Spiritu sancto promptius & alacrius obtemperet.

48. Gravissimè ergò errant Antinomi, qui à ratione  
perfectæ regenerationis, (qualis tamen in hac vita neminè  
contigit) argumentati; Tertium usum legis ex agro & fini-  
bus Ecclesie renatorum exterminand. esse, contenderunt.

49. Sed ut ad reliquas legis divinae species accedamus,  
Leges Ceremoniales ab externo ritu sic dictæ, continent  
in se Ordinationes Ecclesiasticas sive ritus, ad Sacerdoti-  
um Leviticum propriè spectantes: & de personis certis ad  
Sacerdotium adhibendis, de Sacerdotum officio in admi-  
nistrandis tam Sacramentis quàm Sacrificijs: de festis: de  
Tabernaculo: & similibus, quas vocant, observantijs &  
varijs & plurimis.

50. Usus harum legum facile primarius fuit is, ut ef-  
fent quasi umbra ac typi Sacrificij Christi: secundum gener-  
ralem illum Apostoli Aphorismum: Lex umbram futuro-  
rum bonorum habuit, non ipsam rerum imaginem: Et; quæ  
sunt umbra futurarum rerum; Corpus autem Christi.

51. Usus minùs principalis fuit, ut ritus isti Ecclesiasticis  
discernant populum Dei à prophanis gentibus: & con-  
staret, ex quo populo proditurus & nasciturus esset Messias,  
Mundi Redemptor.

52. Quemadmodum ergò leges istæ populum tantum  
Israëliticum obligabant: ita et usus earum, non ut legis  
Moralis perpetuus esse, sed tantisper saltem durare debuit,  
donec Christo in carnem exhibito, & proprij corporis sacri-  
ficio in ara crucis peractò, Typica illa Levitarum sacrificia  
tollerentur: ac absolutissimo Christi sacrificio sanctifica-  
rentur perficiendi, aeterna <sup>redem</sup> ~~annu~~atione parta.

53. Cujus abrogationis signum fuisse velum templi,  
ab imo usq; ad summum, Christo patiente, scissum, haud  
malè colligitur: ut constaret, jam omnib. in Christum cre-  
dentibus,

B

dentibus,



dentibus, per eundem ad Sanctum sanctorum, aditum patere liberrimum.

54. Perperam ergo faciunt Iudaei, Leviticis hodieque observantes ceremonias, quas suo adventu jam olim antiquatas & sublatas esse Servator voluit.

Synodus  
Tride. Sess.  
22. & 23.

55. Deteriores his Pontificij, qui in Ecclesiam Novi Testamenti, Leviticis Ceremonias & commentitia sacrificia, vestes, & similia, stultam κακοζηλιαν reducunt: earumque rerum observationem sub Anathematis fulmine necessariam esse, nugantur.

56. Haud minus stolidè facientes ijs, qui fortè in ipso meridie clarissimum & lucidissimum Solis jubar accensa candela illustrare, & Corpus per umbram evanidam exhibere satagunt.

57. Neque verò propterea Ecclesiae Novi Testamenti omnem omnium Ceremoniarum usum planè interdictum esse volumus.

58. Sed liberam earum potestatem ei concedimus, quae & propriè luci ac praesantiae Novi foederis conveniunt, & ratione habita temporum, locorum, personarum, sine opinione cultus & necessitatis instituuntur.

3.  
Leges Fo-  
renses.

59. Tertia legis divinae species continet in se Leges Forenses, seu politicas Mosaicas, quae divinae erant constitutiones, quibus ad disciplinam externam, & publicam pacem ac tranquillitatem conservandam, civilis Magistratus, & iudicia & poenas attemperare cogebatur.

60. Harum aliae nihil continent aliud, quam explanationem legis Naturae & Moralis: ita ut ipsarum usus etiamnum hodie Magistratui politico ad clavum Reipubl. sedenti, & in condendis tuendisque legibus permagnus esse possit.

61. Aliae verò simpliciter ad constituendam & gubernandam Remp. Israëliticam, pro ratione tum temporum illorum;



illorum; tūm Regionis Canaan: tūm dewig, ipsius populi,  
qui ob pervicaciam & σκληρότητα, rigidiorē disciplina in-  
digebat, constituta fuerunt.

62. Quae licet à sapientissimo Legislatore Deo, sapi-  
entissimè sint condita: hodiè tamen ad ipsarum observa-  
tionem Christiani obligati non sunt.

63. Non enim cum alijs gentibus, sed cum solis Isra-  
elitis, fœdus olim super hisce legibus observandis pepigit  
Dominus: hoc plerumq; addito πρὸς δι' οὐρανό: Hæc obser-  
vabitis in generationibus vestris.

64. Quid quòd Iudæorum Resp. ante mille quingen-  
tos amplius annos expiravit: neq; Apostoli, ubicunq; in or-  
be terrarum Evangelium Christi predicaverunt, antiqua-  
ris Rerump. illarum ad quas pervenerunt statutis municio-  
palibus, Mosaicis substituisse uspiam leguntur.

65. Stemus ergò iuxta Apostoli præceptum, quoad le- Galat. 5. 1.  
ges tam Ceremoniales, quàm forenses, in libertate, qua  
Christus nos liberavit; & iugo servitutis amplius implicari  
nos minimè patiamur.

66. Caterùm etsi lex hac divina multiplicem hominib. Rom. 7. 12  
præstat usum: ac ob id sancta merito ab Apostolo appella-  
tur: minimè tamen conscientias, sensu ira Dei prostratas e-  
rigere & confirmare, multò verò minus justificare potest.

67. Non quidem, quòd si quis perfectam præstaret Rom. 2. 13  
obedientiam, eum justum reddere non posset: Siquidem  
factores legis justificabuntur.

68. Sed quia omnes omninò peccaverunt, ac destitu- Rom. 3.  
untur gloria Dei, atq; adeò ut Apostolus loquitur, Lex in- 23.  
firmatur per Carnem. Rom. 8. 3.

69. Quare hic minimè perterritis huiusmodi consci-  
entijs subsistendum: sed celeri gradu alterum Cœlestis do-  
ctrinae genus, quod Evangelium Scriptura nominat, arri-  
piendum & tenendum fuerit: quod quale sit, paucis dispici-  
emus.



Pars II. Disputationis, de EVANGELIO.

70. Est verò vox Evangelij in sacris literis ὁμώνυμος: & vel ὀλικῶς in genere totam doctrinam Christi & Apostolorum designat: vel κατὰ μέγεθος & ἀντιδιγενημένως legi opposita, in specie denotat doctrinam gratuitam de remissione peccatorum.

71. Posteriore hoc respectu Evangelium consideratum, etsi cum lege in eo convenit, quòd utrumq; doctrina genus Deum autorem habet, & de justitia agit, vitamq; promittit: ab eadem tamen differt plurimum.

I. Discrimen Legis & Evangelij.

Rom. I, 19

2, 14.

Ioan. 1, 18

Eph. 1, 9

& 10.

72. Primum enim Lex etsi per lapsum obscurata: minimè tamen prorsus deleta fuit: sed aliqua illius remanserunt scintillula, omnibus naturâ ingenerata & cognita.

Rom. I, 19

2, 14.

Ioan. 1, 18

Eph. 1, 9

& 10.

73. Evangelium verò non nobiscum nascitur, nec sagacitate ulla deprehenditur: sed est mysterium absconditum à Filio Dei revelatum.

II.

74. Deinde Lex perfectam obedientiam ac propriam requirit justitiam: sub cuius conditione vitam, & bona omnia spiritualia & corporalia promittit.

75. Evangelium v. alienam obedientiam & justitiam offert: & hac ipsa bona promittit, sed prorsus dissimiliratione.

Tit. 3, 5.

76. Etenim spiritualia & aeterna bona, ut Remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti, vitam deniq; aeternam gratis, & ex aquo omnibus in Christum credentibus, sine ulla conditione suorum meritorum offert.

77. Corporalia verò bona promittit etiam gratuito jam reconciliatis in remunerationem.

III.

78. Tum Lex occidit & mortificat, non proprio effectu, sed adventitio: siquidem ad vitam, non ad mortem data: verùm quia nihil in nobis præter injustitiam invenit, ac proinde infirmatur per carnem, proprium effectum exercere



exercere non potest: & propterea alienum exercet, ac mor-  
ti & condemnationi nos addicit.

79. At Evangelium vivificat per remissionem pecca-  
torum, donatq; Spiritum sanctum, qui corruptam natu-  
ram à peccato repurgat, & novam obedientiam inchoat  
placentem Deo propter Christum.

80. Tandem Lex propriè est Concio pœnitentia, seri-  
am peccatorum agnitionem, sive veram contritionem non  
sine perterrefactione conscientiarum, flagitans.

IIII.

81. Evangelium v. de beneficijs Christi nobis morte &  
passione ipsius partis, de gratuita peccatorum remissione  
nobis propter eundem facta, docet: firmissimamq; consola-  
tionem perturbatis conscientijs suggerit.

82. De postremo hoc discrimine acris omninò superi-  
ori tempore inter Theologos Augustana Confessione addi-  
ctos, exorta fuit controversia: quibusdam Evangelium  
propriè sic dictum concionem pœnitentiæ esse statuentibus:  
alijs contra id ipsum negantibus.

83. Nos Formula Concordia hac etiam in parte subs-  
scribentes, Negativam tenemus; & firmiter statuimus, Artic. 5.  
fol. 688.  
quicquid peccatum ostendit, iram seu mortem minatur: id  
exercere officium legis, sive id fiat in Novo, sive in veteri  
Testamento.

84. Et contra: quicquid docet de persona, de meritis,  
de universali redemptione, de reliquis beneficijs Christi Ser-  
vatoris: de gratuita Dei misericordia, & peccatorum re-  
missione; de fide in Christum: id esse Evangelij proprium,  
ubicunq; & quomodocunq; in Scriptura tradatur.

85. Est verò præterea in decisione hujus questionis,  
duplex cum primis observanda ὀρθότης: prior vocabuli  
Evangelij, de qua supra thesi 70. dictum.

86. Quando n. Evangelij doctrina γενικῶς pro tota  
doctrina Christi & Apostolorum, à potiori facta denomi-



natione, sumitur: utramq; sanè & legis & Evangelij concionem sub suo ambitu comprehendit.

Marc. 1, 1.  
Marc. 16,  
15.  
Luc. 24,  
47.

87. Quo sensu Marcus historiam suã sic incipit: Initium Evangelij I. Chri: & Servator discipulos suos p̄dicare jubet Evangelium omni creatura: Quod in duas postmodum q. species dispescit apud Lucam, dicens: Oportuit predicari in nomine ipsius p̄nitentiam & remissionem peccatorum.

88. Quod si verò propriè ac in specie, & pro ut legitur dicitur in p̄v. opponitur, pro doctrina tantum, de gratuita peccatorum remissione accipiatur: tam id impropiè Concionem p̄nitentia esse statuerimus, quàm impropiè gratiam, iram, vitam, mortem dixerit.

89. Etsi enim S. sanctus arguit mundum de peccato: Apostoli quoq; & Christus ipse, ad agendam p̄nitentiam suos frequenter hortantur auditores: non tamen hac correctio Evāgelio propriè sic dicto, sed Legi adscribenda fuerit.

90. Posterior ὁμολογία latet in vocabulo P̄nitentia, quod idem vel generaliter pro tota cōversione ad Deum: ut Luc. 13, 5. 15, 7. & 10. vel πρῶτος pro prima p̄nitentia parte, contritione nimirum sive seria peccatorum agnitione, sumitur: ut Marc. 1, 15. Luc. 24, 47. Act. 20, 21.

91. Posteriore hoc respectu P̄nitentia ex sola lege, non ex Evangelio hauriri & potest, & debet.

92. Priore verò, P̄nitentia pro tota conversione hominis ad Deum accepta, neq; ex lege sola, neq; ex Evangelio solo: sed utroq; doctrina genere petenda est.

93. In concione n. P̄nitentia lex non sola proponenda est auditoribus, nisi desperationis funes neçtere iisdem: non Evangelium solum docendum, nisi Epicureismo bipatentes pandere portas velimus: Sed utrumq; doctrina genus simul & conjunctim tradendum.

94. Eo tamen observato ordine, ut predicationem Evangelij, Lex qua & tempore prior, antecedit: siquidem  
medicina



medicina adhiberi rectè nulla potest, nisi ager agnito morbo, medicinam expetat.

95. Eo etiam observato discrimine Auditorum: ut videlicet Lex proponatur & subindè inculcetur Epicurais & impienitentibus, & hypocritis, partim in voluptatum cæno, nulla pietatis ac Religionis habita cura, sese voluntantibus: partim peccatorum gravitatem nondum agnoscentibus: partim deniq; opinione propria justitia turgentibus.

96. Evangelium verò annuncietur conscientijs legis malleo jam subactis & contritis, serioq; dolore peccata agnoscentibus ac deplorantibus.

97. Quibus omnibus observatis, manifestum est aliam quidem esse doctrinã Evangelij à lege; non v. illi contrariam, sed subordinatam: ita quidè, ut proprijs suis finibus seu officijs ab invicem ut plurimum sint determinata: in necesse hæc verò & hæretici mutuas planè tradant operas.

98. Ac ut paucis omnia dicamus: Lex monstrat Evangelium: Evangelium monstrat Legem: neq; tamen Evangelium est Lex: neq; Lex est Evangelium: sed Evangelium Legis; Lex Evangelij utitur ministerio.

99. His ita constitutis, definimus Evangelium, quòd sit prædicatio Iesu Christi, sive revelatio mysterij de gratuita peccatorum remissione, per & propter Christum, omnibus in eum credentibus parta, temporibus aternis taciti: manifestati v. nunc, & per Scripturas Propheticas, secundum delegationem aterni Dei, ad obedientiam fidei in omnes gentes patefacti.

Rom. 16,  
25 & 26.  
Eph. 3, 9.  
Col. 1, 26.

100. Mysterium dicitur, tum quòd rationi humanae haud naturam notum: tum verò, quòd aternis temporibus, id est, omnibus retrò exactis seculis fuit tacitum.

101. Etsi n. aliquid ejus, & tantum quidem, quantum ad salutem sufficiebat, Prophetis & Patriarchis notum fuit: adeò tamen isthic obscure traditum, & intra tantas angustias retentum fuit, ut latuisse vel maximè tum videri queat.

Est



102. Est v. *Mysterium* hoc revelatum jam & manifestatum, tum ut ex eo solo veram justificationis nostrae & reconciliationis cum Deo rationem petendam: tum vero, nullam aliam ~~aliquam~~ arcanam, aut à revelata dissentaneam Dei voluntatem inquirendam nobis esse statuamus.

103. Una enim eademq; Dei est ἐπιτομή dispositio & voluntas, & qua temporibus aeternis fuit tacita: & qua in Evangelio jam est revelata.

104. Probè autem notandum, quòd *Mysterium* hoc revelatum dicitur, primùm ad obedientiam fidei: deinde verò notificatum inter omnes gentes.

105. Prius enim illud, excludit absolutum Sacramentarium, omnesq; causas antegrediens decretum Dei, de quibusdam absolute vel salvandis, vel damnandis.

106. Posterius verò docet, doctrinam & promissiones Evangelij ad omnes omninò homines pertinere, ac proinde universales esse.

107. Verùm de duabus hisce hypothefibus, in sequente praedestinationis Articulo, Deo volente juvante agemus accuratius.

108. Quod igitur restat, inter ἐτεροδοξιασυναξιας referimus initio eos, qui diversos Justificationis modos fingentes, patriarchas Lege Natura: Iudaeos lege Mosis: nos nostra lege, quam novam appellant, salvari autumant.

109. Deinde eos, qui Evangelium proprie sic dictum, non tantùm Concionem de Gratia Dei; sed pœnitentia quoq; concionem, arguentem, accusantem & damnantem peccata, esse voluerunt.

110. CHRISTO IHESU, qui perfecta Legi praestita obedientiâ destruxit mortem: in lucem a. produxit vitam ac immortalitatem per Evangelium, sit gloria perennis & infinita, in secula aeternitatis universa. A M E N.

2. Tim. 1,  
10.



Hæc ad Romam.   
 Quædam in prælo edita  
 sunt, prælo in theatro ita legimus: Cor-  
 mg, prælo in mng se vultu vultu eripi  
 salutes ferre o jacta se. Longi. Propriet  
 de vira coram Deo jacta se. vultu's est.  
 mty. 7. 9. Ecce Republica adus se sanguis  
 4. 2. 5, ut hinc apparat mngi, in prælo m  
 nos dolores sentientis; hinc in Ecce & sic:  
 hinc mngi angat sui cricist, et de apperlio  
 guntis suum cogit, hinc se to laborate  
 nisi vultu prælo. Ecce ad. Paul. par. l.  
 p. 394.

94 A 7389

50

ULB Halle 3  
 002 716 291  


LD 77











SPVTATIO VIII.

De

EGEET  
VANGELIO.

AD QVAM  
auspicio sanctæ & individuæ  
Triadis

PRÆSIDE

HARTO HVTTERO,  
THEOLOGIAE  
DOCTORE:

*1. Calend. Augusti, horis locog,  
consuetis*

*Respondebit*

CINVS FRANCVS  
Wtenbachensis Tyrigeta.



IENÆ  
IS TOBIÆ STEINMANNI.  
ANNO cIo Io XCVI.

